

fallor constabit non exiguam esse utilitatem historiæ philosophicæ in studio theologiae exegeticæ.

## §. XVI.

Ut autem theologi non ultimum est officium arguere male sanas doctrinas, ita & hicce non modo utilem sed & necessariam esse historiæ philosophicæ cognitionem, <sup>In impugnandis erroribus.</sup> dudum mihi persuaderi passus sum. <sup>b</sup> Imo nec multa probatione hæc opus habere crediderim, postquam id penne omni ætate creditum est harum rerum peritis. Non urgebo pluribus tritum illud TERTULLIANI: <sup>c</sup> quod hereticorum patriarchæ sint philosophi; idem sano sensu pluri-mi veterum doctorum fuere persuasi, qui errorum scrutati sunt origines. Neque ignoratum id fuit sequentibus temporibus, cum jam olim JO. PICUS MIRANDULA, dum CC. hæreses confutare constituit, ex quibus XC. relinquit absolutas, in primis annis sit ostendere, qua ex parte philosophiæ non rite percepta suos illi traxissent errores, uti autor est JO. FRANCISCUS PICUS MIRANDULA. <sup>d</sup> Eodem modo JACOBUS THOMASIUS a. 1665. Lipsiæ in schediasmate historico Origines hæreseos Simonis Magi, Gnosticorum, Massalianorum, & Pelagianorum; denique theologiae mysticæ pariter ac scholasticæ ostendit tanto cum eruditorum applausu, ut schediasma istud a. 1699. Halæ recudendum fuerit inscriptumque: *Origines historiae philosophicae & ecclesiasticae.* Imitatus est hunc, ut puto, JO. HENRICVS HORBIUS, qui, cum animadvertisset capitale, de materia rerum Deo coæterna, dogma omnis hæresiologiæ & absurdorum, quæ hinc oriuntur, dogmatum esse fundamentum, primum specimen hujus rei dedit, ut vocat extemporaneum *de origine hæreseos Simonis Magi.* Quod cum ageret adeo in ea, quam con-

C ceperat,

<sup>b</sup> Conf. buc quæ differit Jo. Clericus in praef. ad Stanleji historiam philosophia orientalis.

<sup>c</sup> Adv. Hermogenem c. VIII. p. 231.

<sup>d</sup> In vita Io. Pici, cum qua conf. L. I. c. VII. p. 79. de studio divina & humana philos.